



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 143. Jacobi I. Angliæ Regis Oratio de Justitiæ administratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

nimum merentur ea, quæ Rex in suo sermone die vigesima octava Junii anno sequenti in comitiis Scotiæ Regni habito de Belgicis Ecclesiis protulit: Quod ad fœderatas Belgarum Provincias attinet, inquiebat ipse, ibi sane post nuperas inducias, nostramque cum Hispano pacem, humanis omnibus, divinisque permixtis ordo Reipublicæ pæne abiit in Anarchiam: nec id sine cælestis justitiæ nutu, qui enim nostros recipiebant schismaticos, homines suis opinionibus addictos, & ab Ecclesiæ nostræ unione aversos; quique omnibus Religionum hydris quasi asylum aperiebant, hi ex tam multiplici contagione nunc eo redacti sunt, ut quam religionem ipsi tueantur, vix habeant dicere.

§. CXLIII.

*Jacobi I. Angliæ Regis Oratio de
Justitiæ administratione.*

Quamvis Jacobus Rex hucusque ple-
na in Regno suo tranquillitate po-
tiretur, haud parum tamen illius ani-
mum torquebat ambitio, qua Regiæ
dignitatis suæ prærogativam certis An-
glici juris limitibus circumscribi dole-
bat: quocirca omni data occasione sub-
ditis suis supremi imperii ac Regiæ au-
toritatis jura inculcabat, eodemque
ex fine sub specioso irrepentes in justi-
tiæ

*Opera Re-
gia Jacob. I.
pag. 252.
Rapin Thoi-
ras Hist.
d' Angl.*

Sæc. XVII. A. C. 1616. tiæ administrationem abusus corrigendi obtentu die vigesima Junii prolixum, ac pro more suo divisionibus & subdivisionibus infartum sermonem habuit, cui hæc Psalmistæ verba præfixit: *Judicia tua da Regi, & justitiam tuam filio Regis*, ex quo inferre nitebatur, quod omne ac præcipue Monarchicum Regimen, omniaque judicia primo deriventur a Deo ad Reges, & demum a Regibus ad Magistratus: Postea de Judicibus disserens, eorum potestatem esse restrictam inquiebat, proin cavendum primo esse a Regiæ prærogativæ finibus, si qua lis de mea prærogativa mota fuerit, ceterisque imperii arcanis, tantisper abstinendum vobis, dum me ipsum aut Concilium meum aut ambos percontati fueritis. dein ita prosequebatur Rex: *nefas est arcana summæ potestatis examini subicere; hoc enim est regiæ imbecillitatis fundum scrutari, & mysticam illam reverentiam, quæ Dei throno Regibus infesso debetur, e medio tollere.* Ceterum Rex haud absone firmitatem supremi hujus juris a reverentia erga Ecclesiasticos derivari indicabat his verbis: *non firmabit Deus jura nostra, nisi debito honore prosequamur jus Divinum, quod fieri non potest, si illius Interpretes spernemus. Contemptus hic Ecclesiæ nostræ, Doctorumque illius, & Antistitum prope esse finem Universi, non obscure*

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

scure arguit. Præterea supremæ suæ auctoritatis studiosissimus, sermone ad populum converso addidit, *suprema illa & absoluta sceptri prærogativa Jurisperitorum examini non subjacet, sed extra omnem disputationis aleam posita est. Quæ- rere quid Deus possit, impietatis est, & blasphemicæ, similiter quid Rex possit quæ- rere, audaciæ est in subdito, & procacita- tis extremæ igitur quæ Regiæ di- gnitatis aut potestatis sunt, dum lege agi- tis, intacta maneat & illibata, nimis pro- gressa est quorundam hæc audacia, si quis tam alte imposterum sapiet, pledetur a ju- dice, si judex connivebit, uterque pledetur a me, facessat e foro Puritanicæ illius & De- mocraticæ facundicæ acumen, intra veteris modesticæ fines litigandum est.*

Puritanos enim Rex semper populo infensos reddere satagebat, eoquod il- los, sicut Anglico Ecclesiæ Regimini, ita & Monarchico suo imperio adver- saturos credebat, nec etiam in eodem suo sermone Catholicos perstringere, ac fidelitatis juramentum eis imposi- tum urgere destitit, ita hanc in rem perorans: *ad Papistas & refractarios, quos consuetudo recusantes appellat, mea spe- rat oratio: gaudeo cum refractariorum numerum alicubi decrescere: mærore afficior, cum crescere alibi intelligerem, nihil meis auribus accidere potest amarius, quam, me*

Mm 5

Rege,

Sæc. XVII. Rege, deficere homines a fide; nec lætius,
 A. C. 1616. quam meo imperio religionem florere. Deum
testor, nihil inanis gloriæ causa dici: toto,
 inquam corde mihi dolet, quoties audio
 multiplicari refractarios, vos igitur obte-
 stor iudices, ut pari mecum affectu hoc ne-
 gotium prosequentes, quantum potest, præ-
 caveatis malum: & meum animum, uti
 est, populo meo faciatis notum, in triplici
 sunt differentia hi refractarii, sunt, qui,
 ut legem eludant, semel aut bis in anno
 concioni sacræ interfunt, nec ipsi, si credi-
 mus, Refractarii sunt, sed uxor domi &
 familia. Hi utut legi satisfecisse videantur,
 Deo minus quam ceteri satisfaciunt. Sunt,
 quibus animus ita pravo imbutus est errore,
 ut nostra sacra penitus fugiant; verum ta-
 men pacem publicam non sollicitant, & bo-
 nos se alias cives præstant. Sunt denique,
 qui nec ministrum ullum in ædibus; nec co-
 lonum in agro suo, nisi Papistam, & Re-
 fractarium sustineant; quin & vicinis, nisi
 eorum accesserint sententice, negotium au-
 dent faceßere. Hos antequam accesseris,
 facile deprehendas, ut solent vulpium ca-
 vernas ex tetro circumfuso odore, intole-
 rabilis est hæc audacia, ut, qui sub me præ-
 caria fruuntur libertate, vitæque, alienam
 libertatem infestent; & pro quorum salute
 mihi apud Deum reddenda est ratio, hi
 aliorum animos eodem veneno inficiant, &
 secum ad infernum trahant. Papistam ho-
 neste

neste educatum, suaque innutritum Religio- Sæc. XVII.
 ne ea prosequor charitate, qua par est fi- A. C. 1616.
 delem subditum: quod in Regni comitiis te-
 status sum. Apostatam vero non possum
 non odisse, constituamus obsecro, qua pæ-
 na πολυωγὰ γμοῦς isti Papistæ coercendi sint,
 quibus non sufficit sui erroris licentia, ni
 alios recte sentientes ejusdem superstitionis
 socios faciant, quod de Refractariis dico,
 idem de Sacerdotibus intellectum volo: nolo
 Sacerdos Missam aut Religionem luat su-
 spendio: at si juramentum fidelitatis defu-
 giat, quod ex meo multisque aliis libris
 (quicquid demum aut Pontifex aut diabo-
 lus ogganniat) constat, jam, esse politicum
 & civile; si defugiat, inquam, exerceri le-
 gem jubeo: justitia ea est non persecutio: de
 Sacerdotibus, qui aliquando meam exora-
 runt clementiam, eaque lege carcere in exi-
 lium missi sunt, ne olim redirent, nolite
 me, amplius consulere: quin facite ne quid
 posthac de illis audiam, in eadem causa
 sunt, qui effracto carcere evaserunt, signum
 est sola eos resti coerceri, quos carcer non
 coercuit, inepte dicuntur Martyres, qui
 conscientie causa detrectant mori. Paulus
 egredi noluit apertis foribus; nec nisi An-
 gelo Dei ducente exivit Petrus: isti vel a
 Luciferi Angelo se pedibus extrahi pate-
 rentur. Non deerit, quod de Sacerdotibus
 his moneam de novo, cum primum ex E-
 piscopis Cantuariensi, & Londinensi,
 qui

Sæc. XVII. quibus id negotium dedi, eorum ordines &
A. C. 1616. gradus rescivero.

§. CXLIV.

*Apostasia & fuga in Angliam Marci
Antonii de Dominis Archiepiscopi
Spalatensis.*

Jæger. Hist. Eccles. L. 6. cap. 1. **H**oc anno desertor impius Marcus Antonius de Dominis a Catholicis ad Calvinianos, & ex Italia profugit in Angliam. Hic patria Venetus originem traxerat ex illustri *Dominiorum* Familia, quæ cognatum sanguinem a Gregorio X. deducit. Juventutis studia excoluit in quodam Collegio Jesuitarum, qui ingenii sui præstantia, necnon literaria diligentia decepti ipsum ad Societatem suam pellexerunt, ubi post biennis tyrocinii decursum in politioribus studiis tantum profecerat, ut inveniendi subtilitate, facundiæ copia, singularisque cujusdam eruditionis fama, cum primis eniteret, postea Theologiæ peritia locupletatus Veronæ humaniores literas, Brixix Rhetoricam & Philosophiam, necnon Patavii Mathesin tradidit, sed sensim Novitates opinionum amare, & divi Thomæ Aquinatis doctrinam spernere cœpit, quo fiebat, ut pestifera errorum semina compluria in sinu suo, haud observatis tamen